

Scholion autem illud ita sonat: Ajo verò præter dictas quinque \*  
 figuras non posse aliam constitui figuram solidam, quæ planis & *Supr. ibid.*  
 æquilateris & æquiangulis contineatur, inter se æqualibus. Non  
 enim ex duobus triangulis, sed neque ex alijs duabus figuris solidus  
 constitueretur angulus.

Sed ex tribus triangulis, constat Pyramidis angulus.

Ex quatuor autem, Octaedri.

Ex quinque verò, Icosaedri.

Nam ex triangulis sex & æquilateris, & æquiangulis ad idem  
 punctum coeuntibus, non fiet angulus solidus. Cum enim trian-  
 guli æquilateri angulus, recti vnus bessem contineat, erunt eius-  
 modi sex anguli rectis quatuor æquales. Quod fieri non potest.  
 Nam solidus omnis angulus, minoribus quàm rectis quatuor an-  
 gulis continetur, per 21. II.

Obeasdem sanè causas, neque ex pluribus quàm planis sex  
 eiusmodi angulis solidus constat.

Sed ex tribus quadratis Cubi angulus continetur.

Ex quatuor nullus potest. Rursus enim recti quatuor erunt.

Ex tribus autem pentagonis æquilateris, & æquiangulis Do-  
 decaëdri angulus continetur. Sed ex quatuor nullus potest. Cum  
 enim Pentagoni æquilateri angulus rectus sit, & quinta recti pars,  
 erunt quatuor anguli rectis quatuor maiores. Quod fieri nequit.  
 Nec sanè ex alijs polygonis figuris solidus angulus continebitur,  
 quòd hinc quoque absurdum sequatur. Quamobrem perspicuum  
 est, præter dictas quinque figuras aliam figuram solidam non posse  
 constitui, quæ sub planis æquilateris & æquiangulis continea-  
 tur.

	Planum	Plana	Latera	Angul.	Orbẽ inscriptũ.
Cubus	quadrangulum	6	12	8	mediocrem.
Octaedrõ	triangulum	8	12	6	cubo æqualem.
Dodecae.	quinquangulũ	12	30	20	maximum.
Icosaedrõ	triangulum	20	30	12	dodec. equalẽ.
Tetraedr.	triangulum	4	6	4	minimum.